Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Credo in unum deum patrem omnipotentem factorem celi et terre visibilium
omnium et invisibilium Et in unum dominum ihesum xpm filium
dei unigenitum et ex patre natum ante omnia secula deum de deo lumen de lumine deum verum de deo
vero genitum non factum consubstancialem patri per quem omnia
facta sunt qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de celis et incarnatus est de spiritu sancto ex maria
virgine et homo factus est Crucifixus etiam pro nobis sub
pontio pilato passus et sepultus Et resurrexit tercia die
secundum scripturas et ascendit in celum Sedet ad dexteram
dei patris et iterum venturus est iudicare vivos et mortuos Cuius
regni non erit finis Et in spiritum sanctum dominum et vivificantem
Qui ex patre filioque procedit Qui cum patre filio simul adoratur et conglorificatur
Qui locutus est per prophetas Et unam sanctam catholicam et
apostolicam ecclesiam Confiteor unum baptisma in remissionem
peccatorum Et expecto resurrectionem mortuorum Et vitam
venturi seculi Amen

Et in terra pax hominibus bone voluntatis Laudamus
te Benedicimus te Adoramus te Glorificamus te Gratias
agimus tibi propter magnam gloriam tuam Domine deus rex celestis
pater omnipotens Domine fili unigenite ihesu xpe Spiritus et alme
orphanorum paraclite Domine deus agnus dei filius patris
Qui tollis peccata mundi miserere nobis Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem
nostram Ad matrem gloriam Qui sedes ad dexteram
patris miserere nobis Quoniam tu solus sanctus Mariam
sanctificans Tu solus dominus Maria gubernans
Tu solus altissimus Maria coronans ihesu christe
Cum sancto spiritu in gloria dei patris Amen